
DE SANCTISSIMA TRINITATE ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO AD SANCTISSIMUM...

Vincenzo Santini, Valenti Gonzaga



INNOCENTIO XII. PONT. MAXIM.


VINCENTIUS SANTINUS
Fœlicitatem.



Ivino consilio factum est B. P. ut numquam de Deo cogitare homines possimus, quin beneficentiæ quoque illius recordatio quędam suboriatur; adeo nihil in Deo est, quod cogitationem attingere fas sit, cui non insigne aliquod beneficium acceptum referamus. Id mihi in præsens accidit, dum sublimem Dei Naturam animo reputarem: Statim enim mihi se se obtulit humana Natura tot à Deo beneficiis exornata, ut orationem meam abripuerit ad illa commemoranda. Cum autem iis recensendis ab instituta Divinę Naturę meditatione non discesserim, illud intellexi: Deum cum sui imaginem in nobis tot beneficiis insculpsit, id voluisse, ut Divinę Naturæ cogni-

tio mortalibus fieret, & memoria dignitatis jucundior & ſimilitudine facilior. Illud nūc pedibus Tuis provolutus ago, ut orationi meæ firmiſſimum præſidium, ex Te, quęram B.P. qui Tuarum virtutum teſtimonio oſtendis, adeò non deeſſe in animis hominum Dei ſimilitudinem, ut ſi quis eam Divinarum virtutum imitatione exercuerit, atque in opus deduxerit, is evadat, qualem omnes qui Te Optimum Principem experimur, dicimus, nempe Deo ſimillimum. Itaque quicumque Te præeunte in idem imitandi ſtudium incubuerint (quos in hujus Anni Sanctitate quot ſint vides) ii ex Tuis virtutibus utilitatem atq; fructum longè maximum percipient. Quamobrem cum auctam Tuis exemplis Pietatem ac Religionem intueor, pręſentem hunc annum, non tam vetere Patrum inſtituto, quam Innocentii Pontificis Sanctitate, Sanctum appellari poſſe crediderim.

ORA-



ORATIO.

I quid eſt B. P. magnificum atque præclarum, quod in noſtri generis commendationem ratio nobis ſuppeditat: ſi qua cœleſtium munerum, quæ per fidem conſequimur, æſtimatio: ſi quod judicium aut conjectura latentis adhuc fœlicitatis, quam expectamus, fieri poteſt: harum omnium rerum nobis hodierna dies certiſſima præbet argumenta. Admirabilis illa trium Perſonarum in una Natura communio atque ſocietas, quam in præſens veneramur, univerſa nobis exhibet Divina beneficia, quoniam, quam hęc in nobis perficiunt præſtantiſſimæ Dei Naturæ ſimilitudinem, dum hujus arcana patefacit, in apertam fidei lucem profert.

Tria præ omnibus maxima & quæ cætera complectuntur, ſunt Dei beneficia: quod vitam nobis tribuerit: quod è peccati ſervitute in libertatem vindicaverit: quod ad æternæ fœlicitatis conſecutionem vocaverit. Quam verò illuſtris horum omnium ſignificatio ſit, in eo quod nunc recolimus Divinæ Naturę myſterio, id jam patebit

ſi quam

si quam ex illis consequimur formam àc dignitatem cum hoc contulerimus. Ad imaginem & similitudinem suam nos condidisse ipse sui operis conscius fatetur Deus, eadem opera consilii sui rationem explicans ac admonens nos præstantiæ nostræ ac dignitatis. Unus enim Natura Deus cognitione atque intelligentia sui filium sibi ejusdem Naturæ consortem generat, eumque Patris imaginem exactissimè referentem statim infinito, quo par est amore prosequitur. Amor hic sempiternus atque immortalis est Divinus Spiritus. Qua ratione admirabilis ille in Unitate numerus existit intelligentiæ atque amoris fœcunditate. Est & hominis animus non partium concretione cohærens, sed Natura simplex atque unus: is tamen tribus à Deo acceptis facultatibus, mente, voluntate, ac memoriæ vi; Deum qui Natura Unus est, Trinus Hypostasi non obscurè videtur indicare. Cum autem veri bonique notiones à Natura acceptas in omnibus rebus gerendis adhibet, mirifica quadam imitatione præfulget Divinæ Virtutis, quæ totius veritatis in Verbo, totius bonitatis in Divino Spiritu, summam complectitur. Atque utinam illa tot malorum ferax primi peccati lues, non hanc prope Divinam Naturæ nostræ habitudinem infecisset, offusisque intelligentię tenebris, ac voluntati fluxarum rerum illecebris, id effecisset, ut hominem intuentibus sæpius occurre-

curreret, quod peccati eſt, quam quod Naturæ. Verum quid amplius calamitates noſtras conquerimur, cum Fidei Sacramento ſuſcepto, non ſolum quod perditum fuerat, reparatum eſt, ſed novarum maximarumque rerum acceſſione amplificatum. Dei ſimilitudinem Natura receptam, peccato deformatam Baptiſmus inſtaurat; & Dei tunc deliberantis conſilio, Sanctiſſimorum in hoc Nominum, Patris, Filii ac Divini Spiritus invocatio reſpondet. Quis enim eſt, qui ſi Naturæ facultatibus inſpiciendis, Dei in ea ſimilitudinem deprehenderit: non eamdem animadvertat in iis, quæ ſupra Naturæ vires Religione aſſequimur, Divinis muneribus, Fide, Spe, ac Charitate? O igitur miram humani generis dignitatem, ò pulcherrimam Divini Vultus imaginem, quæ ex ejus lumine ſupra nos ſigna- *Pſal. 4.*
to coruſcat. Ea verò ſi dum animus corporis adhuc ſocietate tenetur, tanta eſt, quî fieri poteſt, ut quod fœlicitatis æternæ beneficio incrementum ſuſcipiet, verbis atq; oratione complectamur? Hæc amantiſſimi hominum Redemptoris ſumma votorum fuit: hæc jam jam ad mortem properantis extrema precatio, dum Patrem alloquitur. *Ut omnes*, inquit, *unum ſint ſi-* *Jo: 17.*
cut Tù Pater in Me & Ego in Te ut & ipſi in Nobis unum ſint. Quid enim aliud hæc, inter ſupplicia, potentiſſimæ preces deſignant, quàm futuræ fœlicitatis amplitudinem, qua conjuncti Deo

atque

atque unum quodammodo cum illó facti, ex ipſo jam fonte hauriemus tam præclaræ ſimilitudinis notas atque inſignia? Neque verò imaginis hujus lineamenta oratione perſtringere fas eſt.
Jo: Ep. 1.cap.3. In illum nobis Diem hæc reſervatur cognitio quo, cum apparuerit, ſimiles ei erimus, & tantę dignitatis præſtantiam, non argumentis metiemur, ſed magnitudine voluptatis. Videtis quanta cœleſtium bonorum ſignificatione, hodiernus hic dies inclareſcat, qui Divinæ Naturæ celebrandæ ſacer eſt atque ſolemnis. Videtis quam mirè cohæreant D. O. M. in genus hominum collata beneficia, ut quam nobis dederat Natura Dei ſimilitudinem, hanc per peccatum collapſam, Fides reſtituat, ipſa poſtmodum fœlicitate ornandam perficiendamque.

LAUS DEO.